



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

De Confirmatione Regali. Capvt VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

humi prosternitur, & lachrymans deuotione sincera & humili gratias agit, quod fluctuantis animo mansuetudine responsionis paternæ reffectus, conscientiae securitate lætetur, & tantò feruentius proposito sibi consilio salutari annuit gratulando, quantò copiosius illud idem poterat, & sperabat se posse perducere ad effectū, maximè cum illis temporibus, nobilitate generis, diuitiarum affluentia, Bohemos præcelleret vniuersos. Datis itaque muneribus summo Pontifici, & Dominis Cardinalibus, benedictione accepta, urbem reliquit, & voti commutatione salutarifera recreatus, in Bohemiam proficiscitur hilaris & iucundus.

DE CONFIRMATIONE
REGALI.

CAPVT VII.

Prosperatus in itinere venit in Bohemiam, patriam suæ natiuitatis optatam; vbi corpori laboribus in itinere fatigato, aliquantula quiete indulta, locum amœnum quærit & aptum, in quo ad laudem Dei & honorem Virginis gloriosæ, fundamenta, claustrum primordia, iaciatur,

Tepla monasterium fundatur.

& inuento loco, in quo nunc monasterij altitudo confurgit, corruens in terram sic ait. Qui de Virgine nasci dignatus es, prepara in hoc loco habitationem seruitijs aptam. Et surgens ab oratione ligone arrepto, profundius sulcat, & aliquot cophinos terra onustos, de fundamento primus in humeris suis portat, nomenque cœnobio indidit Tepla, à ciuitate vicina, quæ ab incolis vulgariter, Tepla vocatur. Est autem claustrum fundatum, in optimo solo terræ, nam situs loci aliquantulū est sublimis, ab vno latere cinctus siluis & pratis, varietate florum vndiq; purpuratus, fluentibus in medio aquis irriguis & piscosis, agentibusq; circulares ambitus, molendinorū commoditate opportunus, sanus præterea, & religioni admodum cōueniens, locus inquam gratia diuina perfusus, in quo Domino militantes, de bonis fiunt meliores, & de melioribus, optimi, de virtute in virtutem gradatim proficientes, prout per affectum clarius liquet. Nam religione crescente, licet plātatio sit nouella, inter alias tamen professiones, religionis eiusdem, in ædificiorum structuris, prædijs & redditibus, Deo incrementum præstante, prosperatur, & crescit. Ut taceã de monasterio S: Mariæ Virginis

Matriſ

Matris Christi Patronæ ipsius, quæ in altum erectum quam inexpugnabili opere structuræ, muris etiã validis & excelsis, columnis sublimibus, testudinis firmitudine, & pulchritudine fulciatur, ornatu interius rutilans, campanarum sonore præcellens, ut nihil supra per omnem regionem illã, vel fuisse vel futurum esse celebri sermone feratur. Et quia hæcenus summo omnium rerum auctori minime placuit ut adhuc amplius & dignius, resplenderet, quã plurimis tamen Deo psallentibus præconibus, & ministris sibi competentibus, sub Regula S. Augustini Ord. Præmonst. laudabiliter conuersantibus ad ornatum perpetuò claret.

DE DEDICATIONE

EIVSDEM.

CAPVT VIII.

EIA fratres qui aures intenditis ad librum, & corda sursum habetis ad Deum, quos Mater misericordiæ in ministros, imò potius sibi in filios adoptauit, audite audientes me, & collaudate vestram unanimiter aduocatam. Etenim quando Templensis Ecclesia à venerabili Patre, Domino Ioanne foelicis recordationis sanctæ Pragensis Ecclesiæ Episcopo mense